

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0417

0415

0421

0411

0426

0406

0466

0366

0516

0316

0916

403

fumosis resident cavernis et tabernaculis. De quibus Job. 39. dicitur: Tabernacula eorum in terra salsuginis.

In hos miseros bestiales homines effudit ipse Machometus maledictus primo venena suae pestiferae doctrinae cosque ad se inclinavit et inde cum eis gladiis, hastis et arcibus caeteras gentes ad se vi duxit et ita mundum pervertit adjutorio illorum miserrimorum, sicut Romulus et Remus attractis ad suam sequelam latronibus, fugitivis, pastoribus pecorum et ignobili populo et confuso Latinorum regno suum regnum sanguine innocentum Romulus imbuit.

Incipit deserti peregrinatio et de triplici via solitudinis, sicut haberi potest ex textu Bibliae, et de via beatae Virginis cum puero Jesu in Aegyptum.

Evagatio per vastissimam solitudinem facilis nunc describenda erit, praecognitis asinis et asinariis, camelis et camelariis, solitudine et Arabibus, deserti incolis. Pro majori tamen intellectu notandum, quod ex Scriptura sacra triplex reperitur deserti via. Alia est enim via, per quam filii Israel de monte Synai venerunt in terram sanctam. Alia, per quam Abraham descendit per desertum in Aegyptum et Jacob et filii ejus, quando fuerunt vocati ad Joseph, et eadem via creditur descendisse Joseph cum sponsa sua, beatissima Virgine Maria et puero Jesu, in fuga Herodis, Matthaei II. Alia, per quam Propheta Helias et Hlizeus ingressi sunt per desertum ad montem Synai, non quidem simul, sed successive ut habetur 3. Reg. XIX.

Filii quidem Israel fuerunt ducti (b) de Aegypto non directe per viam, quae dirigit ad terram sanctam, sed per viam maris rubri adscenderunt ad montem Synai, sicut jussurat Dominus, nec a monte Synai via propinquiori fuerunt ducti, sed longe per desertum longum ducti et reducti et circumducti, quousque finirentur XL anni. Causa autem, quare non propinquiori via per Palaestinam Aegypto conterminam fuerint inducti, ponitur Exodi XIII. Palaestina enim habuit civitates magnas, plenas gigantibus. Quos si filii Israel in primo agressu vidissent, reversi in Aegyptum fuissent propter

26\*

Ende

Anfang